



68
13 C
45



PANDVLPHVS COLLENVTIVS Pisaurienſis Iuriſconſultus, Tito Stroze Equiti, & Poetæ Illuſtri. S. D.



Iſtuli diutius, quàm par fuit, deſiderium tuum, diſtuli fateor, ſed inuitus. Incredibile eſt, quantum ſtudijs auferant, quantum ſubripiant temporis, rei familiaris anguſtia, & negotij publici, quo per officium diſtringor, moleſtia. Dabis (quæ tua eſt humanitas) veniam, ſi tarditatem, rerum copia compenſauero, vtinam, & nobis id contingat, & tu ita cenſeas (quòd dicere ſolebat Auguſtus) Non tarde factum eſſe, quòd bene factum ſit. Nunc habes quòd petiſti, Germanicarum ſcilicet rerum, ſummam potius, quàm deſcriptionem, tumultiuarie intra hos frigidiſſimos dies collectam. Breuem & quantum potui, & materiæ perplexitas patitur, dilucidam. Pomponij Melæ præfationem obijciens, qui locorum ſcripturus hiſtoriam, opus impeditum, & facundiæ minime capax ſuſcepiſſe ſe dicit. Immenſus profecto labor, vera ſectantibus, iſta digerere, a deò confuſa, deprauata, permixta ſunt omnia, dimoti fines, locorum facies mutata, monumenta extincta. Corrupta vrbium, amnium, regionum, populorumq; vocabula, & quæ ægre latino ſermoni, ſcriptioniq; reddantur, omnia



deniq; barbaricis inuoluta ſunt tenebris, vt nec veteribus ſcriptoribus, noui concinant, ſed nec veteres inter ſe conueniant. Scripſi tamen vt potui, & quæ viſu, & experientia didici, & quæ multorum authorum lectione cognoui, non veterum modo, ſed eorum qui noſtra memoria, literis aliquid, quòd ad rem faceret, vel picturæ mandauerunt. Tu eo animo iſta ſuſcipias obſecro, quo beneuolentium amicorum officia interdum ſuſcipis, quorum ſi non laudas opera, operam tamen & voluntatem non aſpernaris. Illud tibi ante omnia exploratiſſimum ſit, nihil mihi gratius contingere poſſe, quàm tibi homini, vt nobiliſsimo, ſic candidiſsimo, & (quæ rara eſt gloria) prudentiſsimo poetæ, gratum aliquid, aliquando feciſſe. Vale. Ex ædibus noſtris. III. Id. Decembr. M. D.

DESCRIPTIO, SEV POTIVS SVMMA RERVM GERMANICARVM.



Eteres quondam Germaniæ fines, hi fuere. Ab oriente quidem Vistula fluuius, quem hodie Viglam dicunt, Germaniam à Sarmatia distermінans, & Sarmatarum montes, qui Danubium inter, & Vistulæ fontes intercedunt. Ab Aquilone Germanicus oceanus. Ab occidente Rhenus fluuius, Galliarum quoq; limes. A Meridie Danubius, qui & Ister dicitur, à Rhætis, Vindelicis, Noricis, & Pannonijs Germaniam diuidens.

Posteriori tempore, quaqua versum longè lateq; fines, & latissimas prouincias in Germanicam linguam, & Germanicos mores legesq; traduxit, adeò, vt hodieq; magnæ Germaniæ nomen sibi vendicauerit.

Nam Vistulam transgressa, magnam Sarmatiæ partem occupauit, qua scilicet Sarmaticum oceanum attingit, & tres in ea non exiguas prouincias fecit Pomeraniam primo. Subinde Prussiam, mox Liuoniam, quæ Rhoxolanis, hoc est Rhoxiæ contermina est, quæ Alba cognominatur.

Vltra Sarmaticum quoq; & Germanicum oceanum, & eo-

rum sinus, Germanicum nomen ad Septentrionem protulit. Insulasq; eius maris insignes, & incontinenti maxime Aquilonari, Sueciani, Noruegiamq; latissimas prouincias Germanico adiecit Imperio, et glacialem oceanum, terramq; incognitam & inaccessam, fines fecit.

Rhenum quoq; cum traiecisset, qui Galliæ, & Germaniæ quondam finis fuit, magnam Belgarum partem occupauit, omnemq; illum tractum qui á Britannico oceano ad alpes vsq;, quæ Italiæ imminent, inter Rhenum & Mosam amnes protenditur, Germanicum fecit. Insignesq; in eo prouincias statuit. Flandriam, Brabantiam, & cæteras quæ dicendæ sunt.

Danubium quoq; á meridie transgressa, Pannoniam superiorem, Noricum, Vindeliciam, Rhetiam, & Carniæ in ipsa Italia, & Iapidum, & Liburnorum partem occupauit, & in prouincias plures partita est, Austriam scilicet, Bauariam, Carniolem, Carinthiam, Stiriam, & reliquas quæ mox dicentur.

Ita priscos omnes fines cum superasset Germania, latissimos nunc habet, & populorum multitudine, & robore, gentium nobilitate, & vrbium magnificentia & claritate nullis facile cedit terris.

Summa igitur prouinciarum vel notissimarum, quæ hodie Germanico iuri adscriptæ sunt, & quæ Germanica lingua maiori ex parte vtuntur. Ipsam prius Germaniam per quatuor orbis plagas circũeunti, mox mediam speculanti;

hæc ſunt.

Qua ad meridiem ſpectat intra Danubium & alpes, Tirolum habet, Sueuiæ partem, Bauariæ partem, Carniolam, Carinthiam, Stiriam, Auſtriam.

Qua vero ad orientem vertitur trans Danubium. Inter amnes Odram (qui Sueuus priſcis dicebatur) & Vislam Germaniæ terminum, Morauiam habet, & Sleſiam, & eam Saxoniæ partem, quæ Noua Marchia dicitur. Tum Pomeraniam, Pruſsiam, Liuoniam.

Qua in Septentriones ſpectat, inter Germanici & Sarmatici oceani littora. Et eum qui glacialis occanus dicitur, ſiue incognitam terram, primum quidem Germanici oceani habet Inſulas. Tum incontinenti trans Germanicum oceanum, Sueliam, & Noruegiam, Straboni, Plinio, Tacito, Ptolemæoq; prorſus incognitas.

Qua vero ad occidentem vertitur. Rhenum inter & Galliam, Flandriam habet, Brabantiam, Gheldriam, Iuliacum, Lucimburgum, Burgundiam quæ Imperialis dicitur, ſiue Comitatus, Helſaciam, Suitiam. Tum præclaras quaſdam trans Rhenum vrbes, & quæ ad Rheni oſtia ſunt Inſulas.

In harum autem quas diximus prouinciarum medio quaſi quadratam inter quandam figuram, quam Danubius à Meridie, Odra ab oriente, Germanicus oceanus à Septentrione, Rhenus ab occidente, claudunt. Has habet prouincias, Alteram ſcilicet Sueuiæ partem, alteram quoq; Bauariæ. Tum

Boemiam, quæ ſola inter Germanos, Germanica lingua non vtitur, ſed propria. Tum Saxoniam, & eius partes, Franconiam, Haſsiam, Veſtfaliam, Cleuium, Holandiam, Friſiam, Daniam, quæ abſurde hodie Dacia dicitur. Tot in ſumma continet notioris ſectionis, prouincias vniuerſa Germania, quarum ſitus per picturam quam ſubijecimus, vtcunq; videre licet.

Particularis vero earum deſcriptio, quo ſupraſcriptæ ſunt ordine ad hunc modum breui narratione ſe habet.

Tirolum ea pars eſt quam duorum amnium Atheſis ſcilicet, & Eni fluenta percurrunt, inter Alpium montes anfractusq;, vnde Tirolenſes Atheſis & Eni valles incolunt, quatenus alpibus clauduntur. Tirolum exiguum oppidum eſt, quod regioni nomen dedit, quæ Tiroli Comitatus dicitur. Hæc Rhetiæ quondam pars fuit, inſignia in hac oppida Brixna ad Iſam fluuium, Bolzanum, Maranum ad Atheſis ripas, Inſpruch, & Halam factitio ſale fertilem ad Enum.

Sueuia ſuperior citra Danubium Rhetiæ quoq; pars eſt. Inſignia eius oppida, Chempt, quæ olim Druſomagus dicebatur, & Ilaro amne alluitur, Meminght ad eundem amnem, Bibrichum, Augsburgh, quæ olim Auguſta vindelicorum dicta eſt. Intra Vindam & Licum amnes ſita, qui in Danubium exonerantur. In ea celebres fluuij, Ilaris, Licus, fonteſq; Danubij.

Bauaria ſuperior citra Danubium, à Lico ad Enum vſq; flu-

nium, & alpes Rhetici iuris est, Trans Enum vero qua in Pannoniam superiorem vergit eius prouinciæ pars est, quam Noricum prisci vocauere. Huius insignes Ciuitates citra Enum quidem Regensburgh, quæ Ratispona Italiæ dicitur à Tyberio Augusto, Tyberiaca olim dicta, cum prius Artobriga diceretur. Monácum vrbs noua ad Isaræ amnis ripam sita, vbi olim Abudiacum, Mariburgh, Patauia ad confluentes Eni & Danubij, & Nigri Boemici fluuij (qui vniones ferre dicitur) ripas sita, Bocodurum quondam dicta. Trans Enum vero Rothembergh, & Salzburgh, olim Iuuania á Romanis dicta, & Lintz quoque, quam Aredatam prius dixere. Huic prouinciæ Boios Gallicam gentem, pulsis Nericis nomen dedisse ferunt, ex eoque Baioariam prius, inde Bauariam dictam.

Carniola, duplex cum sit, ea quæ sicca cognominatur eas vrbes habet quæ Carnorum quondam fuerunt, qui nunc Foro Iuliani dicuntur. Tota Italici iuris est, in ea plura oppida possidet Austriæ Ducum familia, quæ lingua Germanica vtuntur. Et vsque ad Timanum protenditur fluuium qui nunc sancti Ioannis flumen dicitur. Huius celebre oppidum Goritia, Noreia quondam dictum ad Sontij amnis ripam situm.

Carniola altera cognomine Irrigua, Iapidum partim & Liburnorum (qui hodie Croatini dicuntur) iuris est, in vallibus sita inter Nericos, & Iapidicos montes, qui

hodie Carsorum dicuntur. In ea plures amnes ortum habent. Sed maxime Illustris Sauus in Danubium longissimo tractu ad Belgradum descendens, huius insigne oppidum, Lubiana vulgo dictum, Latine Labacum, á Labaco, Fluuium, quem olim Nauportum vocabant, cuius ad Lugeam paludem Strabo meminit. Vnde Lubianam vocare Incolas coniectura est.

Carinthia, Montana Regio, ab occasu & meridie Foro Iulij & Carniolæ applicatur, & ipsa partim Norici, partim Liburnici iuris est. Eam plures interfluunt amnes; sed precipuus Drauus in Danubium descendens. Ad Septentrionē Stiriæ iungitur. Huius insignia oppida, Marchburgh, Volchmarch, Villacum, quod Vacorium prisci vocauerunt.

Stiria, olim Valeria (vt quidam ferunt) dicta, Illyrici iuris, ab Occidente & Meridie Carniolæ & Carinthiæ iungitur. Ad Septentrionem Austriam spectat. Ad Orientem, Pannoniam inferiorem hoc est Hungariam, respicit. In ea Mura insignis Fluuius qui in Drauum exit. Vrbium populi trans Drauum, Germanica lingua vtuntur. Cis Drauum, Sclauonica. In ea vrbes insignes. Cælia, Ciliam vocant, Romanis vetustatibus nobilis, Pruch, et Greczium, cum immitissima arce Austriam spectante.

Austria vetustus Ducum Austriæ titulus, Osterich & Osterlant, hoc est terra Orientalis dicta, qua Bauariæ ab occasu iungitur, ab Eno scilicet Amne ad anasum fluuium,

uium, Norici iuris est. Qua vero Hungariam respicit, ab Anaso ad Leitam vsq; fluuium qui Austriam ab Hungaria diuidit, superiori Pannoniæ deputatur. Habet igitur ab Oriente Pannoniam inferioré, hoc est Hungariam. A' meridie, Stiriæ montes, qui ab alpibus perpetui in Hungariam, & vlteriores regiones protenduntur. In ea præclara sunt oppida, Neuestat, hoc est noua Ciuitas, et VVienna, olim Iulio bona dicta in Pannonia superiori ad ripam Danubij sita, vrbs Regia & præclara. Transgreditur et Danubium Austria, & Boemiæ Morauiæq; cõiungitur.

Morauia, Austriæ quæ trans Danubium est, iungitur ad Sepẽtrionem euntibus inter Boemiam & Hungariam quæ trans Danubium est, huius nobilis Ciuitas Brunna. Hanc regionem Hermunduros qui fidi semper populo Romano fuere, incoluisse certũ est, mixtimq; subinde in Slesiam euntibus, Marcomannos, Sudinos, Quados, Nariscos habitasse ex veterum lectione picturisq; facile cõijcimus.

Slesia vero intra Odram, & Vislam fluuios Morauiæ ad Septẽtrionem iuncta est. huius Inclyta Ciuitas Bresla, latine Vratislauia, prisco nomine Bugordis, ad ripam Odræ sita. Celebres amnes in ea post Odram sunt, Olsa, Hola, Bobrus, Barusius chartorum riuus. Nissa præterea, ad quẽ Nissa de fluuij nomine vrbs inclyta sita est.

Marchia noua Saxoniæ pars est, quæ ad Germanicum vsq; Oceanum protenditur. Hãc Odra fluuius irrigat in cuius ripa Franchfordia vrbs diues Emporium.

Pomerania, Marchiæ nouæ Saxonicæ ad orientem iungitur, Germanicoq; adiacet Oceano. In ea inclytum oppidum Visinaria, deinde Rostochium littoreum, negotiãtibus frequens, & liberalium artium gymnasium.

Prussia post Pomeraniam ad orientem sequitur, ad vtrasq; ripas Vistulæ fluuij, qui vetus Germaniæ, & Sarmatiæ terminus fuit. Insignia habet oppida, Toroniã, Eilam, Louemburgh, VVarmiã, Brunsbergh, Culmen, Dansich, Dantiscum olim dictũ, et Mariæburgũ Metropolim. Hãc olim Hamaxobij, Velaumi, Venedi, et Sitones incoluerũt. Post Vlmerigi quos Gotthi ex Scandia Insula in continẽtem descendentes expulerunt, hanc terram armis quæsiuere fratres Theutonici qui sanctæ Mariæ dicuntur, qui ab expeditione Hierosolymitana redeuntes, post amissam Ptolemaiden à Friderico secundo Impetrarunt, vt armis subigere, et Christianam facere, & perpetuo possidere liceret, in ea insigne oppidum cum arce munitissima Mariæburgum, hoc est Mariæ Ciuitatem condiderunt. Hi sunt qui Pruteni vocantur.

Liuonia, et ipsa Christianarum prouinciarum intra Germanos vltima, per eosdem Theutonicos fratres armis quæsita, et Christiana facta, Rhoxolanis hoc est Rhoxiæ. A Septẽtrione iungitur. Ab oriẽte Tractaros habet, qui nunc Tartari dicuntur, à quibus sæpe incursiones patitur. Huius insigniores vrbes, Riga, Narba, Reuallia, Hapsel, et Tarbatum episcopalis sedes. A meridie Hamaxouiam ha-

bet, & Lituaniam. Ab occidente vero nō continuo Prussiæ iungitur, verum intra Liuoniam & Prussiam littus longum interiacet, & lata terra Polonorum Imperio parens, quā Massagetarum esse quidam autumant. Nos vero Thussagetarum, non leui argumēto credimus, inter Germanicos autem ideo non ponenda, quoniam nec Germanica lingua vtitur, nec Christianum nomē amplectitur.

Insulæ in Germanico Oceano Germanici iuris plures sunt, verum maiores & notiores, VVenders, Stocolm, Osilia, Elandia, Selandia, Lalandia, Lauandia, Ibria, Gothlandia, quæ vetusto nomine Scandia dicta. Sola in eo mari Ptolemæo cognita, vnde olim Gothi prodierunt.

In hoc Germanico Oceano plures sunt Sinus, sed maxime celebres, Balticus, Venedicus, Codanus.

Suetia trans Germanicum Oceanum in continente, contra Liuoniam, Prussiam, Pomeraniamq; procumbit. Tota ferme Germanico Oceano circūalluitur. Nec à continente auulsa (glacie .n. ferme perpetua iungitur) Nec omnino continenti iuncta. Quoniam qui eam continenti Isthmus iungit, fluctibus fere semper mergitur. Vix nisi glacies eum faciat peruius. Grandis est Peninsula in regiones plures, & vicos diuisa. Insignia tamen habet oppida, Lincopiam, Elsingiam, Vortergh, Lundis, Solumburg, et vestens vbi Sanctæ Brigidæ monumentum reliquiæ quæ seruentur.

Noruegia in continente post Suetiam ad occidentem sequitur: hæc Daniæ quæ in Saxonico littore est, Et Scotiæ quæ in

Anglia est insula opponitur. A' Septétrione, aut glacialé habet Oceanum, aut terram incognitam. Ab occidente Britannicum Oceanum. Ab oriente Suetiam. Suetia vero ab oriente Rhutenos, olim Rhoxolanos hoc est Rhoxiam, & Tartaricas gentes in Noruegia. Nota oppida Germanici iuris sunt, Bergis, Nidrosia, Lindesnes, Stauangria, Tembergh.

Citra vero Germanicum & Britannicum Oceanum, qua occidentem Germania spectat, ab Oceano ad alpes procedétibus, Regionum descriptio ad húc ferme ordiné sequitur.

Flandria nota Prouincia trans Rhenum & Mosam amnes, & ipsa Germanica in parte Galliæ olim Belgica dicta, sita est. Præclara & multa in ea oppida, sed præcipue Gandauum Gant vulgo dictum, olim vero Taruanna, et Burgis olim Gensoriacus.

Brabantia, & ipsa nota Germanica Prouincia. Inter Belgas, in qua Bruxellis, et Antuerpia, quam Anuersa vulgo dicunt, præclaræ Ciuitates, & Traiectum superius cognominatum, trans Rhenum & Mosam, banc Bethasij quondam populi inhabitarunt.

Gheldria Ducatus est, & ipsa in Belgis inter Rhenum & Mosam amnes, quá Sycambri veteres populi coluerunt. Insigne eorum oppidum Nimega, Neomagus olim dictú.

Iuliacum vulgo Iuliers, Ducatus titulus, à Iuliaco oppido, de Iulij Cæsaris nomine, cum prius Vatucca diceretur. In quo plura vetustatis insignia inter Rhenum & Mosam,

quam regionem quondam incoluere Menapij.

Lucimburgum, Comitatus titulus, & ipsa in Belgis Germanica gens inter Rhenum et Mosam. Præclarum huius oppidũ LuthZemburgh, olim Augusta Romandissa dictũ.

Burgundia quæ Imperialis, & comitatus Burgundiæ dicitur, & ipsa Germanica prouincia in Sequanis Gallica gente trans Rhenum inter Mosellam & Mosam amnes. Præclarum eius & vetustum oppidum Bisuntiũ, vulgo BisanZon dictum.

Helsatia Germanica Prouincia inter Gallos, & ipsa ea olim Heluetia dicta, præclarum eius oppidum Friburgũ, olim forum Tiberij (quod videre de Ptolemæo licet) dictum.

Suitia, & ipsa Heluetiorum regio Alpina tota Ab helsatia tamen hodie diuisa, cuius populi vulgo Soizeri dicuntur, ferox natio à Iulio Cæsare quondam domita. Hi nunc (vt olim) XII. pagos habitant, magis insignes, Berna, Lucerna, Zurgum, Tigurinus pagus olim dictum. Regionẽ hanc Limagus amnis interfluit, à quo Alemãnos dictos quidam putant, qui in Turigensem lacum delatus, mox in Rhenum exoneratur, sed et Russa, et Aro quoq; fluuijs irrigatur.

Dicendæ & in hoc tractu præclaræ quædam vrbes quæ in Gallia trans Rhenum cum sint Germanici tamen iuris sunt, & Germanica lingua vtuntur. Magnificentia nullis barbararum facile cedentes, ex quibus Germanicam potentiam, nobilitatemq; dignoscas. Ab alpibus igitur Italiæ, secundum Rheni decursum, ad eius ostia, & Britannicum

oceanū in Septētrionem descendentes initium facimus.

Constantia prima occurrit ad Rheni ripam Gallicam, à Constantio Cæsare Magni Constantini Augusti patre aucta, & cognominata, cum prius Vitudura diceretur. Inter duos lacus Venetum et Acromum sita. Rhenum per eos lacus fluentem, ad oppositam Insulam ponte iungit. Nantuates olim incoluere.

Basilea hoc nomine quasi Regia dicta, Constantiam sequitur, Augustam Rauricam prius maiores dixere à Rauricis antiquis cultoribus cognominatam.

Argentina prius Argentuaria dicta, Basileæ succedit, quam Triboci Germanica gens inhabitarunt, eam Stransburgum hodie Germani vocant ad Rheni ripam.

Spira post Argentinam sequitur ad Rheni quoq; ripam, hodie Helsatiæ adscripta, Sed Belgarum olim Ciuitas, quam Nemetes incoluerunt.

Vormatia, ad Rhenum succedit post Spiram Vangionū olim in Belgis Ciuitas.

Maguntiacus mox sequitur, Maguntia vulgo dicta, & ipsa in Belgis ad Rheni ripam Metropolis Ciuitas. Archiepiscopus inter Imperij Electores est.

Pinguen, ad Rheni ripam oppidū, qd̄ Romani Bingiā dicebāt.

Confluentia, deinceps est post Bingiam ad Mosellæ amnis ostia qua Rheno miscetur, vnde et nomen. Mosellā vero quem & Obrincam Ptolemæus appellat, inferiores Germanos à superioribus diuidere affirmat.

Colonia subinde sequitur cognomine Agrippina, praeclara & vetusta Ciuitas, ac Metropolis nobilissima, in Belgis sita, & in inferiori Germania ad ipsius Rheni ripam, quã Vbij Germanica gens quondam incoluerunt, vetusta mul ta Romana monumẽta adhuc retinens. Vbios ipsos trans Rhenum traduxit. M. agrippa diui Augusti Gener, Gal liarum munimento, vt inde Germanos hostes arceret. Inde à conditoris nomine Agrippina dicta, eius Archiepiscopus inter Imperij Electores est.

Hussia munitissimum oppidum Coloniae succedit, obsidione Caroli Burgundi nobile, quã fortiter foeliciterq́; eius Ciues aetate nostra pertulerunt, Vetustum est, et Nouesium quondam dictum, Post quod mox sequutur Mosae, Rheni partem arripientis ostia, in Ghelrensium hoc est Sycambrorum finibus.

Sunt & aliae Germanicae trans Rhenum vrbes, non mediocris inter Gallos gloriae, non tamen ad Rheni ripam. Nã & in regione quã nouo nomine Lothoringiã vocant.

Metis est Mediomatricum olim Ciuitas, Diuodurum priscis dicta, Mesa nunc vulgo, ad Mosellae ripam, cui ad eiusdem quoq; fluuij decursum.

Treueris succedit, vetustate & bellica quondam gloria Illustris, Augusta Triberorum postea dicta, nunc Metropolis, quae Archiepiscopũ inter Imperij Electores habet.

Aquisgranum insignis Ciuitas ad citeriorem Mosae ripam, Caroli Magni sepultura nobilis, à Scatentibus eo loco cali-

dis aquis, & Grania quodam Romano homine, qui locū celebrauit, dicta, cum prius vetera diceretur.

Leodium quoq; vrbs præclara, quā Franci Ligium ab influente in Mosam eius nominis fluuio nunc vocant, Basacum à maioribus dicta, ad vlteriorem Mosæ ripam sita, Eburonum quōdam sedes, Caroli Burgundi crudelitate insignis, quippe quam cæsis Ciuibus, direptis et incensis domibus, nostra ætate, magna sua euertit infamia.

Dicendæ sunt hoc tractu Insignes ad Rheni ostia Insulæ Belgis ac Frisijs attributæ; vt Zelandia cuius insigne oppidū Mitelburgum, Vatastica vetusti nominis Insula. Holandia Batauorum quondam sedes. In qua Traiectum inferius cognominatum nobile oppidum, aliæq; minores Insulæ Frandrensibus, Holandinis & Frisijs habitatæ quas vsq; ad extremum rimari & persequi velle, tam difficile q̄ superuacuum fortasse videtur.

Nunc postq̄ Germaniam vndiq; circūiuimus, Interiorem eius situm percurremus, quem Danubium inter & Rhenum & Odram amnes, & Germanicum Occeanum, quadratam quasi figuram habere diximus, ab inferiori Sueuia initium sumentes.

Sueuia inferior superiori de qua supra diximus intersecante tamē Danubio iungitur. Trans Danubium sita. In qua Vlma nobilis Ciuitas & Nigræ Syluæ pars. In ea celebres fluuij Hercarus, Argus, Blauius qui in Danubium ad Vlmam descendit, Prædicatissima Cæsari tacitoq; Prouincia,

& centum (vt fertur) pagis quondam habitata.

Bauaria inferior ei quam superiorem cis Danubium diximus, eodem Danubio intercurrente iuncta, trans Danubium sita est, Cui ab Oriente Austriales & Boemi. Ab Occidente, inferior Sueuia. A Septētrione, pars Franconiæ. Hæc olim Noricus dicta, nunc Ducatus est illustris. In ea Ciuitas opificibus frequens Nerimbergh, hoc est Norici mons, Segodunum prius dicta, amnis Pegnitius eam interfluit, Ciuitas ipsa media ferme Germania sita, optimis legibus & Repub. viuens. Trecentisquinqꝫ & Sexaginta Turribus, valido murorum ambitu cingitur. Sunt qui putent (quod supra retulimus) à Boijs Beloariam dictam. Horum ego opinioni cur accedam, non habeo, verior (meo quidem iudicio) sententia est, Bauariam ab Auaribus dictam. Hungaros. n. constat, feram gentem, Hungaro quodam Duce (vnde illis nomen) ante hos sexcentum annos Scythia erupisse. Et Auares, qui tum Pannoniam tenebant, sedibus eiecisse, Auares vero profugos Noricum occupasse, Auariamqꝫ ex eo de gentis nomine vocatam esse, quæ facili vnius. B. litteræ adiectione, dum hiatum illum vitat, in Bauariæ vocabulum concessit. Meliusqꝫ hoc & concinnius, quàm inepte conijcere Baioariam à Boijs dictam, qui sedibus pulsi non Noricum, sed loca in quibus Boemia nunc est tenuerunt. Ex eoqꝫ Boemiam nominarunt, vnde Boemi nomen adhuc manere Cornelius Tacitus scriptum reliquit.

D

Boemia ab Oriente, Morauiam & Slesiæ partem habet. Ab Aquilone Saxones & Misnenses. Ab Occidente agrum Noricum. A Meridie Bauariam, & Austriam, Hercinia sylua vniuersam cingit. Albis fluuius eam irrigat, sola inter Germanos, Germanica lingua non vtitur, sed propria & Sclauonica. Praga in ea est splendidissima Ciuitas, & Regia, quam Mulotauia fluuius diuidit, Casurgis olim dicta. est & Lintemesce nobilis Ciuitas, & Cuthna, vbi Argentifodinæ fertilissime habentur. Quoniam vero Boios in hæc loca migrasse prædiximus. Consequens est vt Boemiam potius, quam Bohemiam pronunciandum esse censeamus.

Saxonia late patens, Prouincia validis & bellicosissimis gentibus insignis, eam ab Occidente Vesera fluuius terminat, Visurgus olim dictus. Aquilonarem plagam Dani obtinent, & Germanicus Oceanus. Ad Meridiem Francones, Bauari, & Boemij sunt. Orientalem plagam Slesiæ, & eius Saxoniæ pars, quæ Marchia noua dicitur, de qua supra in ambitu Germaniæ diximus. In hac Prouincia minores quædam Prouinciæ sunt, sed præcipue Thuringia, & vetus Marchia, & Misna, & quæ proprie Saxonia dicitur vniuersa. Ducatus est titulus, & multorum principum sedes, Thuringiæ caput Herfodia fatali igne sepius absumpta, quam Gera fluuius illabitur; Burdium quondam dicta, veteris vero Marchiæ oppida insignia, Stendelum ad Albis fluuij ripam, & Ostro-

burghum, Albis fluuius Saxoniam irrigat, vltra quem nec Romani bella gesserunt, celebratissimus amnis, & (vt tacite verbis vtar) inclytus. Brandeburgh quoq; Marchionatus titulus & insignis Ciuitas, veterem & nouam Marchiam disterminat. Ortello flumine, quod Vrbem influit, ipsam & duas Marchias diuidente. Misnensium autem caput Misna est Ciuitas, quam Albis alluit. Inter Misnenses quoq; Merseburgh Ciuitas est, & Lipzgh diues Emporium. At in ea quæ Saxonia proprie dicitur, Vrbes insignes sunt, Magdeburghum Prouinciæ Metropolis ad Albis ripam, Mcesium quondam, & Parthenopolis dicta, Brenis, Alberstat. Pheugarum quondam vocatum Amburga, Treua olim dicta, Vneburghum, Luberh insigne Emporium, Baguiso & Trauo fluuij irriguum ad Germanici Oceani iuxta Daniam littus. Ante alias vero Brunsuuiga Talisurgium quondam dicta, vrbs tota Germania memorabilis, trium Othonum, patris, filij, Nepotisq; qui Imperatores fuerunt, Ducatus & patria.

Franconia Sueuiæ & Bauariæ inferioribus iungitur: á Meridie. Ab occasu Rheno. Ab ortu Boemis, & Thuringis Saxoniæ populis. Ab Aquilone ijsdem Thuringis et Hassiis. Prouinciam amnis Moganus illabitur vetusto nomine Menis dictus, qui cis Rhenum superiores Germanos ab inferioribus diuidit, in Boemiæ montibus fontes habens. Illustres Vrbes alluit, Herbipolim, S. Arctaunum



quondam vocatam, & Franchfordiam, Franconiæ Metropolim, & Emporium. Nobilissima quoq; huius Ciuitas Bamberga Gramonarium olim dicta, quam Radiantia flu. mediam perlabitur. Franconia vero, Francia Orientalis dicitur, & Francorum (qui nunc Galliam incolunt) origo. Hanc Tectosages veteres Gallicos populos habitasse ferunt, á Francis Scythica gente, quondam sedibus pulsos, qui subinde Franconiæ nomen imposuere Prouinciæ.

Hassià montanà Regio á Rheno in Septentrionem protenditur, & Thuringiæ iuncta eodem Principe regitur. Qui Germanica lingua, Langrauius, hoc est terræ Comes dicitur, eam Langobardos incoluisse Ptolemæi testimonio facile comprobatur.

Vestfalia, in qua Caucos veteres Germaniæ populos habitasse quondam creditur, Rheno ab Occidéte clauditur. Ab oriente Visurgo amne quem Veseram dicunt. A' Septentrione Frisiam & Traiectensem terram habet. A' Meridie Hassiæ montes qui Abnobi prisca appellatione dicuntur, ex quibus Amasus vetusti nominis fluuius oritur, & Padeburnam Vrbem alluens, Vestfaliam mediam secat. Inde per Frisiam defluens, in Oceanum fertur circa Amasum fluuium, & Bructeri quondam sedes habuere, quos Drusus Nauali prælio superauit, quosq; vicinæ prouinciæ, Sexaginta hominum millibus vno tempore cæsis, communi consilio penitus deleuere.

Cliues

qui in his montibus caput habent. Quos in primis Ptolemeus enumcrat.

Non omittendum censeo. Si hoc quoq; ad Carmen tuum facere videbitur, q̃q̃ ad Germaniam non pertineat, Austrialem Friderici Tertij, & Maximiliani Cæsaris familiam. In Istria Italica Prouincia, non contemnenda oppida, multa possidere. Nam littoreæ quidem vrbes (Tergestina excepta) Venetis parent. Vt Iustinopolis, Parentium, Pola, quæ vero Mediterraneæ sunt, Austriæ Ducibus, qui Istriam, Istreich, lingua patria dicunt, seq; eius Marchgrauios (hoc est) Marchiones appellant. Tenent autem & Tergestum nobilem, veteremq; Coloniam, quæ Istris adscribitur, quippe quæ trans Timauum est fluuium. Et in ipsa peninsula, quæ tenent oppida, Sclauonica lingua, non Germanica vtuntur.

Illud quoq; scitu non iniucundum fortasse videri potest, cur Germaniam omnem, vno nomine Alemanniam vulgo dicant. Sunt qui arbitrentur á Limago fluuio, de quo supra in Suitiæ mentione scripsimus, Alemannos dictos. Sunt item qui á Lemano Gallico Lacu, quem Rhodanus influit, vocatos absurdissime opinentur. Nos ab Alanis dictos comperimus. Alanos Sarmaticam gentem, in Germaniam quondam migrasse certum est, Rhenoq; transmisso, Germaniæ partem illam, quam inter Rhenum & Mosellam, & Alpes superiorem vocari diximus, occupasse. In qua Suitia, Helsatiaq;, hoc est Heluetij sunt, Nantuatesq;, & Rau-

rici, & Triboci, & reliqui quos diximus. Ex eo Alemannia quasi Alania pars illa vocata est. Eorumq; nomen, & vires adeo auctæ sunt, vt vniuersæ Germaniæ, paulo ante Diocletiani Imperium, vocabulum dederint, tantas autem vires genti fuisse scribunt, vt Constantius Cæsar magni Constantini Augusti pater, circa Lingones qui ea loca tum tenebant, quæ nunc vocari Helsatiam diximus, Sexaginta Alemānorum millia vno prælio cæciderit. Posteriori vero tempore, Gratianus Augustus ad Argentuariam vrbem, quam nunc Argentinam dicunt, Alemānorum Triginta millia, & vno ipse quoq; prælio strauerit. Alemānos vero propriam gentem, & á Germanis diuersam fuisse, nemo qui historias accurate legerit, ignorabit.

Tedeschi vero Germanica, siue Alemānica gens omnis dicitur. Non á Theutonis Saxonica gente (vt quidam putant & communis ferme sermo recipit) sed á Teutiscis quos in Norico fuisse scribit Strabo. Impudentissimasq; eorum incursiones, Tiberium & eius fratrem Drusum vna æstate repressisse, facilis vero est á Teutisci ad Tedeschi appellationem transitus, vulgo præsertim rerum vocabula facile corrumpenti.

Dignitates habet Germania, & dignitatum insignes titulos, primum quidem Imperatorem habent. Quem Romanorum Regem ante coronationem vocant. Ius quoq; Imperatoris eligendi, quod supra Quingentesimum annum Gregorio quinto Pontifice instituente, Ab Othone. III.

Augusto in hæc vsque tempora perseuerauit, & adhuc perseuerat intactum. Reges habent duos, Alterum Boemorum, Danorum, & Gotthorum, alterum, quem Daciæ Regem vocant. Archiduces vero duos, Austriæ & Burgundiæ. Imperij Electores habent Septem. Archiepiscopos tres, Coloniensem videlicet Italiæ. Treuerensem Galliæ. Maguntinum Germaniæ. Cancellarios Boemorum præterea Regem pocula Cæsari ministrantem, si quando Imperatorium Guilum dari contingat. Saxonum etiam Ducem qui nudatum gladium præfert. Brandeburgensium Marchionem, sacri cubiculi Magistrum. Palatinum Rheni Comitem. cuius officium in Aula est Imperatoriæ mensæ dapes inferre, hi sunt qui electores vocantur.

Duces habent multos, sed maxime Illustres tres, ex tribus familijs tota Germania nobilissimis, Saxoniæ videlicet, Austriæ, & Bauariæ. Duces præterea Pomeraniæ Bransuigæ, Gheldriæ, Cleuis, & similes.

Marchiones quoque plures habent, vt Brandeburgh, Morauiæ, Misnæ. Comites quoque multos, ut de Nassau, de Vertembergh, de Sconburgh, de Zorn, & alios, quorum nomina et titulos, non Carmen modo, sed latina quoque elegantia, commode recipere nõ posse videtur. Post hos Milites non paucos habent qui titulus apud ipsos nõ paruæ æstimationis semper est habitus. Marchiones Marchgrauios hoc est finium Comites lingua patria vocant. Comites vero. Si vrbium sint, Burgrauios dicunt. Si regionis cuiuspiã,



Lantgrauios, hoc est terræ Comites, appellant.

Ciuitates habent duas & Septuaginta insignes, quas Francas, hoc est liberas vocant. Et ea quidem libertate, quam ab Imperio consequuntur, cui cum proprio & speciali quodam iure, magis quam cætera dominia subijcientur, si recte illi parent, inuiolata potiuntur libertate. Quod si aliquatenus ea abuti audent, grauiori subsunt iudicio, Imperiali scilicet edicto, ita vt quæcunque ab eis vi auferuntur: iure, meritoque censeantur ablata. Neque propterea minus liberæ existimentur, quod quadam peccandi libertate, sic propemodum priuari videantur. Peccatum enim, vera seruitus, Non etiam libertas est.

FINIS.

Impressum Romæ per Antonium Bladum Asulanum. mense Septembris. M. D. XLVI.



